

B. 25.

44.

PIA MEMORIA
BEATISSIME DEFVNCTORVM,
h. e.
VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
ET EXCELLENTISSIMI,
IOAN. DANIELIS
HERRNSCHMIDII,
S. THEOL. DOCTORIS
ET IN HAC FRIDERICIANA PROFESSORIS
ORDINARII MERITISSIMI;
NEC NON
CONIVGIS EIVSDEM LECTISSIMÆ,
SABINÆ CATHARINÆ
SCHWARTZIÆ,
MATRONÆ OMNI VIRTVTVM CHRISTIA-
NARVM GENERE FLORENTISSIMÆ,
DIE XIV. FEBR. DOMINICA INVOCAVIT,
ET QUIDEM PARTIM ANTE MERIDIEM
IN TEMPLO SCHOLASTICO POST HORAM IX.
PARTIM POST MERIDIEM
IN ÆDE GLAVCHENSIVM SACRA HORA II.
CONCIONE FVNEBRI RECOLETVR:
AD QVAM SI NON IN VTROQVE,
TAMEN PRO CVIVSVIS COMMODITATE IN ALTERVTRO LOCO,
CVM ÆDIFICATIONE AVDIENDAM,
VT EXCELLENTISSIMI ACADEMIÆ
PROCERES AC PROFESSORES,
NEC NON
OMNIVM ORDINVM CIVES NOBILISSIMI
BENEVOLE CONFLVANT,
IPSOS QVAM HVMANISSIME
ROGAT INVITATQVE
ACADEMIÆ PRORECTOR,
IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS, ICTVS,
SEREN. AC POTENTISS. BORVSS. REGIS CONSILIARIVS INTIMVS,
ET IVRIVM PROFESSOR ORDINARIVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS GRVNERI, Academ. Typogr. a. MDCCXXIII.

PIA MEMORIA
 BEATISSIME DETVCTORVM
 VIRI MAXIME REVERENDI AC PRINCIPALISSIMI
 ET EXCELLENTISSIMI
 IOANNIS DANIELIS
 HERRNSCHMIDII
 S. THEOL. DOCTORIS
 ET IN HAC BRIDERICIANA PROFESSORIS
 ORDINARI MENTISSIMI
 CONIUGIS EIVSDEM LECTISSIMAE
 SABINAE CATHARINAE
 SCHWARTZAE
 MATRONAE OMNI VIRTUTVM CHRISTIANAE
 NATAVM GEMERE LECTISSIMAE
 DIE LXXIIII. MENSIS APRILIS ANNO
 IN TEMPLO SCHOLASTICO POST HORAM IX.
 IN ALIUM QUARTISIMVM SACRA HORAM II.
 CONIONE PVBICAE RECOLLECTAE
 TAMEN PRO CVLTVS COMMODITATE IN ALTERNATVO LOCO
 COMPLENTORE AVDENDAM
 VT EXCELLENTISSIMI ACADEMICI
 PROCURER AC PROFESSORES
 OMNIVM ORDINVM CIVIS NOBILISSIMI
 BEATI OIL CONIUGII
 PROS TAMEN OMNIMODIS
 ADYVANTAE
 ACADEMIAE PROCTOR
 IVSTVS BRUNNIGVS BOHNHERS IOHANNES
 ACIENLES RECTOR
 ET IVSTVS BOHNHERS
 ET IVSTVS BOHNHERS
 HAK MICHELS
 THEODORVS GRAMMELI, Vice-Rektor & RECTOR





Sex mente veterum recte sapere est mortem meditari, eademum vera est sapientia, quæ in salutari mortis meditatione versatur. Illa vero digna est mortis meditatio, quæ nos, natura in peccatis Deo mortuos, in Christo, vita nostra, vitæ spirituali, quæ æternæ tradux est, suavi ductu restituit. Ad hanc enim qui mortis, quam tremendum Dei iudicium excipit, consideratione ex Evangelii efficacia non adducitur, est, manetque vitæ mortis sepulcrum, vitæ naturalis abusu citato gradu ad mortem decurrens æternam, exitioso iudicii istius euentu sibi attracto. Duo autem præcipue falso credita sunt fulcra, quibus inordinatus huius vitæ, mundique in maligno positi, amor nixus dignam mortis meditationem differt & differendo plane aufert: unum in ætatis vigore, alterum in valetudinis robore, bonis, quibus nihil est fallacius & inconstantius. Et qui arundineis hisce præsidii, vel ipsa experientia abunde edocti, confidere non audent, illos falsa de vitæ spirituali æternaque persuasio, ac vana salutis spes, imaginaria fide concepta, tenet consopitos, adeo vt, quid vita sit ac salus, non nisi irreparabili eius naufragio demum sero intelligant. Et hæc est conditio mortalium plurimorum iniserrima, etiam inter eos, quibus, de augustissimo Christi nomine dictis, alma Evangelii lux affulget. At horum nempe recte sapit: omnium minimeis, qui sapientiæ doctores est, aut discipulus, sed, prætermisso eius fundamento, quod in timore Domini est, ad interitum suum operosius laborat. O beatos illos, quibus vitæ huius vsura omnis nihil est, nisi digna ad beatam mortem præparatio, in vitæ spiritualis ac æternæ studio sapienter occupata!

Exemplum nobis plane singulare præbet *familia Herrnschmidiana*. Hoc quidem, si quod aliud, est luctuosissimum; utpote duplicato funere luctus magnitudinem inducens tantam, quæ illiseriam, quorum adhuc in peccatis sepulta iacet anima, sanctum mortis, etiam sibi ipsi instantis, horrorem poscit incutere. Et qui vias Domini ignorant, ac hominum felicitatem prospera rerum externarum affluentia, diuturna que huius vitæ vsura, meriuntur, iratam numinis faciem hic subsesse crederent. Verum enim vero serenam hanc esse ac benignissimam, qui sapit, intelligit ac recte iudicat. Eum enim in finem nascimur, ut, in Christo renati, Deo vivamus, & ad salutarem vitæ æternæ aditum ac communionem præparemur, ac, quantum vniciuique darum est, etiam præparemus alios. Hoc quidem est officii; vt istud ordinis ac necessitatis. Si necessaria, in vitæ spiritualis charismate sita, adsunt, candidati sumus vitæ æternæ dignissimi; & eo quidem beatiore, quo, mundi huius miseris exemti, maturius ad eam promovemur. Nostra vero Christianissimi officia, quos habere debeant terminos, & quam intra eos amplitudinem, nostrum non est definire, sed ejus, qui vitæ nostræ est Dominus; & qui, horrulam instar, non eos tantum amat curatque flores ac fructus, qui, aspero demum autumno maturescunt ac decidunt; sed menstruos etiam ac præmaturus. Quis militem gregarium, eo quod sua & aliorum opinione citius a stationis suæ molestiis liberetur, pro infelici haberet? Certe longe alia est beate mortis facies, acuta fidei acie considerata, quam eam sibi concipit vulgi indocti doctique error: utpote qui, quæ sua ipsius est larva, beatæ fidelium & sanctorum morti tribuit. Et negari nequit, illorum etiam, qui alias ad mentem Christi sapiunt, nonnunquam oculos in mortis crucisque mysterio hebescere; inprimis sincero quidem, at non satis consulto atque ad voluntatem Domini resignato, caritatis affectu præstrictos. Absunt igitur nubes, absunt tenebræ, a mysterio crucis & a contemplatione mortis beatæ, qua Deus lucis filios filiasque ad splendidissimam æternæ vitæ gloriam transfert. *Iam si familie Herrnschmidiane* fortem sine nostris ipsorum nubeculis intuemur, bonum, immo optimum ac benignissimum, in ea deprehendimus DOMINVM: DOMINVM, qui, quo fideliorum suorum, servi servæque, vidit operam, eo ci-

tius, ea in Christo contentus, eidem finem imposuit: DOMINVM, qui, quo arctius sanctiusque inter conjuges vinculum nexuerat, & quo agrius vnum alterius desiderium in hac ærurnarum valle laturum esse nouerat, eo propius eodem in beata hujus vitæ analysi conjunxit; ipse tutor, altor, paterque futurus orphanorum; & ea quidem majore cum emphasi & effectu, quo crebrius ipsi pii parentes prolem suam, a Deo acceptam, eidem iam inde ab vtero sanctis precibus, & inprimis in sacro baptismatis ac salutis fonte consecratam, in solidum commendarunt.

Nunc istud, quo viri optimi, Collegæ nostri coniunctissimi, laudabilis vita absoluitur, curriculum videamus, securi delineationem illam, quam ipsius calamo magna ex parte debemus: Natus is est Bopfinger, quæ imperialis Sueuiæ est ciuitas, anno MDCLXXV. d. II. April. patre admodum reuerendo GEORGIO ADAMO HERRNSCHMIDIO, ejus loci primum diacono, deinde pastore per annos plurimos bene merito; matre vero CATHARINA MARIA STRASHEIMERIA, Spirensi. Avus peternus fuit JACOBUS ADAMVS HERRNSCHMID, Pastor itidem Bopfingeranus, qui libro præcipue Germanico, cui nomen fecit *Sünden-Rolle* / & quo peccata quoadam grauius grauius & accurate satis perfrinxit, orbi erudito innotuit. Proauus paternus fuit JACOBVS HERRNSCHMID, Superintendens primum Harburgensis in principatu Oeringensi, postea vero Nerolingeranus, variis libellis, tum Latino tum Germanico idiomate editis, satis clarus; cuius frater GEORGIUS eodem tempore *Oettingæ* fuit Superintendens generalis. Abauus fuit EBERHARDVS HERRNSCHMID, & ipse Superintendens generalis Oeringensis, qui in coniugio habuit filiam Pamingeri, exulis Christi, ob Euangelium ex Episcopatu Passauiensi ejeti, & B. Lutero in paucis chari. Jactis in schola patria fundamentis pietatis & linguarum, Latinæ ac Græcæ, anno MDCXC. Nerolingham perductus, & Rectori Scholæ, B. JO. CASP. GEJERO, traditus est, cuius non tantum in schola, sed in priuata etiam conversatione, singularem expertus beneuolentiam, in annum circiter MDCXCIII. ad litteras, quæ dici solent, humaniores ibidem incubuit. Cum autem morbo quodam chronico domum reuocaretur, quantum licebat, tantum propriæ quoque adiecit sedulitatis, in perlegendis præsertim auctoris classicis & historicis impiger. Anno igitur eodem MDCXCIII. cum ad vitam Academicam Altdorffii ineundam idoneus iudicatus esset, accidit, Dei haud obscuro nutu, vt in itinere subsistere iuberetur Heilsbronnæ Francorum, vbi occasio se obulit optatissima proficiendi in studio linguarum sanctarum, viro doctissimo multisque scriptis celeberrimo, JO. FRIDER. KREBSIO, t. t. Gymnasti, quod ibi floret, Brandenburgici Prof. Theol. & lingu. Hebr. nec non Ecclesiastæ meritisimo, operas suas priuatissimas pollicente & exhibente: vnde admotus eiusdem & ædibus & mensæ, omne, quod ibi exegit, temporis spatium variarum linguarum studio impendit, *philosophiæ* etiam, *moralis* præsertim, cuius ideam christianis dignam & perutilem laudatus Krebsius, tum in libro, qui *Scientiæ morum & juris vniuersalis* inscribitur; tum etiam in disputationibus haud paucis, ob oculos posuit.

Perrexit vero beatus noster anno MDCXCVI. Altdorffium, ubi cum primis a viris celebratissimis, JO. CHRISTOPHORO STVRMIO, Phil. nat. & Mathes. P. P. qui affinitatis quodam ipsi vinculo iunctus erat, & GEORGIO PAVLO RÖTENBECCIO, Polit. & Log. P. P. beneuole susceptus est; utpote quibus potissimum a patre & fautoribus aliis commendatus fuerat. Cum igitur linguarum & historiæ studia firmo satis fundamento apud animum eius niti viderentur, præcipuam diligentiam in philosophiæ, quæ ibi tradebatur, sanioris accuratam cognitionem conferre statuit; atque ita B. STVRMII collegiis physicis & mathematicis, & experimentalibus privatissimo, assiduus & solers interfuit auditor: nec contentus fuit, quæ disterebantur, audivisse, sed a singulis lectionibus domum reuersus, stilo congruo, ex memoria res propositas chartæ mandavit, eo sine, ut partim obliuionem præverteret, partim sermonis Latini

Latini copiam retineret, partim etiam de doctrinis, animo recte comprehensis, secum certus fieret. Et cum B. RÖTENBECCII collegia frequentaret, vir judiciosissimus, & simul erga quosvis officiosissimus, reliquis amoris signis & hoc adjecit, ut perlustrandæ & quantum utile erat, excerpendæ bibliothecæ elegantissimæ facultatem faceret. His Philosophis vere sapientibus hoc porissimum se debere gratus adfirmat *ò paradoxus*, quod ipsorum monitis & exemplo didicerit, in quolibet, quod oculis sese offert, argumento 1) accurate inquirendum esse genuinum scribentis vel dicentis sensum; 2) quantum veritate salva liceat, quævis in meliorem interpretandam partem; 3) Dissentientium rationes in tota sua vi & emphasi spectandas, immo propria etiam meditatione acuendas; 4) tunc demum, quæ forte contradicenda supersint, modeste & nerveose diluenda esse. Eisdem a sophisticationibus qualibuscunque abhorruisse, & auditores suos ad sincerum DEi timorem follicite cohortatos esse, non sine utilitate sæpius est recordatus. Ut autem ad Theologiam etiam animum præpararet, auditorem se Theologorum, qui tunc Altdorsii vixere, non minus præstitit constantem & sedulum: atque ita Viros summe Revv. D. CHRISTOPH. SONNTAGIUM P. P. positivam, D. CHRISTOPH. WEGLEITERUM, Liturgicæ & Burnei librum de Reformatione, nec non D. JO. MICH. LANGIUM, historiam Theologiæ, & alia, explicantem, cum debita animi attentione audivit; nec non Respondentis & Opponentis vices in Disput. quæ ibi dicuntur, circularibus, tum Philosophicis, tum Theologicis, sæpius obivit, concionibus item publice habendis operam ad dicere cepit.

Interea manifesto divinæ providentiæ consilio factum est, ut parentes & fautores decernerent iter in Universitatem hanc Fridericianam suscipiendum, una cum indivulso per multos annos studiorum & vitæ socio, consobrino carissimo, CHRISTIANO FRID. JUNIO, postea J. U. L. & serenissimæ domus Brandenburgicæ consiliario dignissimo. Conscripta itaque & sub præsidio B. RÖTENBECCII pro magisterii gradu habita Disputatio de *injusta præceos infra theoriã de depressione*, qua argumenta eorum, qui, ex Aristotelis sententia, theoretica practicis longissime præterunt, idoneis rationibus diluit, A. MDCCVIII. Halam se contulit. Omni, quod inde securum est, commorationis spatium, una cum suavissimo suo consobrino, singularia plane divinæ misericordiæ & providentiæ documenta experius est. Et quidem non in minima felicitatis suæ parte reputavit, quod primis statim mensibus collega noster conjunctissimus, D. PAVLVS ANTONIVS, inter paucos, quos habuit, commensales, locum ei fecit: quemadmodum occasione postmodum oblata in ipsius etiam hospitio domicilium fixit, ex quotidiano commercio & librorum usu, fructum non exiguum se collegisse testatus. Ut autem ex lectionibus Theologicis salutarem hærreret divinarum veritatum cognitionem, frequens auditor interfuit collegio Ven. Abbatis, D. JOACH. JUSTI BREITHAVPTI, Theico doctrinæ & morum, & illi etiam, quod aliquando in B. D. RECHENBERGII *Summarium Histor. Eccl.* aperuit. Et cum Annotationes B. D. BECHMANNI in B. Hutteri Compend. Theol. disputationibus publicis pertractarentur, ipse quoque Respondentium & Opponentium numero adlectus fuit. Pari gradu collegia laudari D. PAVLI ANTONII Antithetica & Paraphrastica, Symbolica etiam, attentio animo frequentavit, eas, quæ ibi tradi solent, veritates, in futuro usus, memori secum mente se reposuisse professus. Simul & Ven. Prof. AVGVSTI HÆRMANNI FRANCKII collegia exegetica, homiletica & parænetica in maximo habuit pretio, & ex monitis ejus saluberrimis, non scientiæ tantum, sed & prudentiæ ac præceos christianæ incrementa eximia percipere studuit. Ordinariæ vero huic industriæ privatam quoque exercitationem interpositurus, eodem suadente elaboravit thema de *discrimine virtutum, quæ ex natura vel gratia oriuntur*. In quo argumento cum cura ita versatus est, ut omnia referret ad doctrinæ apostolicæ hypotyposin, & hanc præcipue sententiis AVGVSTINI, in dogmate de Gratia a JANSENIO enucleati, nec non LVTHERI, scriptis

ipforum assidua manu volutatis, illustraret. Quæ dissertatio deinde eodem Doctore suo præfide publico examini subiecta est, & cum orbi erudito se probasset, auctor in forma tractatus recusa est sub titulo de *natura & gratia*.

Quoniam vero vir beatus persuasivissimus erat, non alias feliciter scientiam Theologicam promoveri, quam ubi pari simul passu jungitur juventutem docendi fidele studium; ideo omni, quod hic exegit, temporis spatio, horas suas subcivitas huic dicavit scopo. Et quidem in Pædagogio Regio in classe media Græcam linguam horis quotidie duabus,isque matutinis, tractavit; deinceps vero Theologiam in Gynæceo, quod tum puellarum aliquot generosarum piæ educationi dicatur erat. Et cum dexteritatem suam multis documentis comprobasset, & Ven. Prof. A. H. FRANCKIUS ipsum intra ædes suas in museum, & mensæ quoque victorem adhibitum porro talem experiretur, quales inter viros juvenes admodum pauci deprehenduntur, factum est, ut anno MDCCI. Facult. Theol. Adjunctus declararetur. Ex itinere autem ad salutandos parentes suscepto, & ob valetudinis incommoda paulo diutius protracto, reversus, cum in eo esset, ut stationis suæ munia pro virili in nostra hac Academia expleret, accidit, ut Pastor ecclæs. patriæ, junctis cum Senatu consiliis, per suffragia unanimia, vocandum ipsum decerneret, ad Pastoratus adjuncturam, Pastore ipso ob senium & affectam valetudinem, patre etiam dilectissimo, ob morbum articulare, tum alias, tum eo maxime tempore, graviter laborantibus. Desiderio hoc penitus perpenso, & precibus iporum consideratis, cum & ipse videretur vires corporis quodammodo fractas in aere patrio facilius recepturus, confenserunt tandem Ven. Facult. Theol. Assesores in ejus dimissionem; atque ita vere ineunte anni MDCCII. domum reversus, peracta ordinatione munus adiit adjuncti Pastoris, quod, paucis inde mensibus secuta morte B. Pastoris, DANIELIS HACKII, viri in istis regionibus spectatissimi, cum Diaconatu permittavit, Patri carissimo, qui in Pastoris successit locum, collega datus & συνεργός fidissimus. Hoc potissimum in officio, quæ tertia pars esse dicitur studii Theologici, *tentationem* non mediocriter expertus est, bello præferim Bavarico-Gallico confestim ingruente, & per innumeros terrores, clades etiam & exactiones, omnem vere Sueviam late conturbante, sicque interiores etiam luctas haud raro subingerente. Anno MDCCIII. nosocomium castrensium militum potentissimi Borussiae Regis, in oppidum patrium translatum, extraordinariis cum exercuit laboribus. Multo majores autem subeundi fuere, cum anno insequente MDCCIV. millium Borussiaeorum, in prelio Hochstadiensium vulneratorum vel centeni ad curanda vulnera eodem adveherentur. Tum enim nocte dieque perentibus, pro muneris ratione, alloquio, consilio, solario adfuit, Deo etiam vires animi & corporis largiter suppeditante. Dum vero divinitus commendatam in patria functionem, pro gratiæ acceptæ mensura, strenue obire laborabat, & simul ἐν τῷ ἀντιπροσώπῳ erga parentes dilectissimos cum gaudio & promittuntur versabatur, anno MDCCXII. vocatione plane inexpectata Serenissimi Principis Nassovio-Idsteinensis, partes Superintendententis & Consilarii ecclesiastici in Principatu ejus suscipere iustus est. Cui muneri gravissimo, & in eo pluribus verbi ministris ætate jam ad senium provecioribus, ut eo majori cum auctoritate præesset, Serenissimi principis sui nutu & amicos ductus in hac Universitate, quam eo tempore, etiam amore erga præceptores ductus, adibat, gradum, quem vocant, academicum in Theologia a venerando Theologorum ordine sibi conferendum curavit, habita disputatione inaugurali de *peccato accedie*. Quanta vero cum dexteritate ac vigilantia munera ista ornaverit, boni omnes adhuc benevolamente ibidem recolunt. Singularis autem ista in priori doctrina consensio, & animorum conjunctio, qua suis olim præceptoribus, hujus Academiae Theologis, addictus erat, effecit, ut, cum viro plurimis in hanc academiam & universam Christi ecclesiam evangelicam meritis conspicuo, AVGVSTO HERMANNO FRANCKIO, anno MDCCXV.

Pasto-

Pastoratus Glauchenſis cum Ulriciano in ipſa urbe DEO ſic volente pemtan-
 duss eſſet, hic in aula Regia expeteret, & quam clementiſſime impetraret, ut
 HERRNSCHMIDIUS noſter ordini Theologorum novus collega adſcribere-
 tur; ſic, ſi quid curæ ex habitatione paulo remotiori orphanotropheo deceder-
 ret, ſubordinata ipſius ephoria abunde compenſaturus. Et hunc ipſum ſco-
 pum omni ex voto fuiſſe obtentum, norunt & prædicant omnes æqui ac pru-
 dentes rerum ac probatæ fidei æſtimatores. Nec minus tamen operæ vir
 beatiſſimus præſtitit juventuti academicæ, docendo & diſputando, materijs
 diſputationum publicarum etſi non impreſſis, ad tabulas tamen publicas fre-
 quentius indicatis. Et cum haud exigua Theologiæ cultorum pars per certas
 horas operis vacet ſcholæſtictis in orphanotropheo; huic in primis doctorem du-
 ctoremque ſeſe præbuit fideliffimum, ideo mortem ejus præmaturam non im-
 merito tenerimo amoris affectu lugenti. Certe quanto in numero, quanto-
 que cum ſtudio, hac in primis hyeme ad lectiones ejus, magna ex parte antelu-
 canas, utpote hora ſeptima matutina in hiftoriam Theologiæ habitas, confluxe-
 rint, & mature adveniendū inter ſe quaſi certaverint, multi urbis cives, e
 quorum foribus iſtarum auditores etiam ante ſtatam horam vigiles primi quaſi
 evolarunt, mirati ſunt. Scripta quidem multa non reliquit, at exaſciata tam-
 en & utiliſſima, & jam tum in Programmate inaugurali memorata, procul
 dubio pluribus de eccleſia quam optime meriturus, ſi longior ipſi vitæ uſura
 Dei munere contigiſſet. Quemadmodum enim ſolidiſſimam poſſidebat rerum
 theologicarum & naturalium ſcientiam, cum experientia præctica conjunctam;
 & judicio per naturam pollebat ſubactō limatoque; ita, quemadmodum plu-
 ribus comprobatur eſt documentis, in ſcribendo etiam curatæ extemporalit-
 atis dono inſtructus erat. Ipſum *Vitas Patrum* recognitas, notisque & præſa-
 tione onatas, nec non B. TAVLERI opera cum præſamine haud ita pridem de-
 nuo edidiſſe, notum eſt. Et cum clariffimi Theologi Rotenburgenſis, B. JO.
 LVDOVICI HARTMANNI, *Pæſtorale Evangelicum* multa cura recognitum,
 notisque variis ac diſſertatione præcæmiali inſtructum prelo denuo paſſet,
 iſtud recuſum hac ipſe hieme Norimbergæ in lucem prodit. In primis vero
 in Theologiæ moraliſ campo erat verſatiſſimus, & auditoribus etiam utrius-
 que ordinis civicis, quotquot theſaurum ſapientiæ & doctrinæ Evangelicæ in
 ipſo digne æſtimarunt, obfrequētiore conciones in æde ſcholæſtica quam
 expeditiſſime habitas, acceptiſſimus.


Quantum vero ſui deſiderium venerando Theologorum ordini
 reliquerit *ὁ μακαρίτης*, facile poteſt colligi, uti e ſtudio, quo virum hunc
 optimū Collegam ſibi expetiverunt ipſi, ſic ex arctiſſimo ſanctioris
 amicitia vinculo, quo conjuncti vixerunt. Cum enim alias rarioris plures re-
 perias in uno collegio, quorum per plurium annorum decurſum una ſit vo-
 luntas, & conſtans conſenſio, Fridericianæ noſtra in Theologorum ordine
 tres adhuc in vivis habet, qui annis amplius triginta eodem animo ac
 ore, eademque purioris doctrinæ conſenſione, ad eundem gloriæ divinæ ſco-
 pum, in ſtudioſa juventute ſecundum mentem Chriſti ad neceſſarios eccleſia
 uſus formanda, conſtanter conſenſerunt, uno veritatis caritatiſque ſpiritu du-
 cti. Id quod quemadmodum apud nos ſemper fuit manſit exploratiſſi-
 ſimum; ſic, pro ſuo etiam in præceptores ſuos amore ſtudioque, vir beatus data
 occasione ante viginti circiter annos in ſcripto quodam, cui titulus: *Send-
 Schreiben von dem Zuſtande der Theologiſchen Facultät zu Halle / malevo-
 lis oppoſito & Jenæ impreſſo*, pluribus, ut teſtis *ἀνθρώπος καὶ αἰγιόχοος*, declaravit.
 Evenit vero jam dudum, quod hic ipſe ne cogitaverat quidem, ſcilicet ut numerus
 iſte *ισοψηφῶν* ternarius duplicaretur, & eum, qui poſterioreſ completeret, quæ-
 reretur, illo ipſo nemo inveniretur magis idoneus. Dolendum autem eſt, il-
 lum, qui acceſſit ultimus, primum Deo avocante ruſus ab iſſidem, ipſum
 omnibus diſceſſiſſe, nimirum virum maxime reverendum & ampliſſimum,
 JO. DANIELEM HERRNSCHMIDIVM: de quo, ut, quæ copioſius dici
 & poſſent & mererentur, paucis ſignificemus, ex vero perhibemus, ipſum
 fuiſſe alterum quaſi *Nathanaclem*, ſeu ſervum Domini, omnis luci expertem,
 & ſingularis *εὐκρινείας*, quæ vera eſt *ἀπλόγη*, ἢ εἰς τὸν χριστὸν, laude digniſſimum.
 Quandoquidem enim veri & Chriſtiani nominis humilitas, & placidiſſimi, ſi-
 bique

bique semper constantis, animi serenitas apex est virtutum omnium; sane vir beatus nobis, quod omnes æmulemur, exemplar reliquit admodum laudabile. Ut nihil nunc dicamus copiosius de familia ipsius, quam pie & prudenter eam rexerit, ut universa egregium præbuerit exemplum vitæ a vano hujus mundi schemate abductæ, & ad mentem Christi conformatæ. Urinam vero hanc ipsam non afflisset luctus duplicatus, ex utriusque capitis factura perceptus!

Humanam, & præcipue christianam, mentem sæpe moris esse præfagam, docet experientia. Et hoc ipsum est, quod in beato collega nostro non sine admiratione observarunt multi. Etenim jam ex aliquo tempore, quando ipsi sermo aliquis ad populum publice fuit habendus, in tractatione materiæ de beatâ morte & vitæ æternæ multo fuit frequentior, quam alias. Et cum pridie ejus diei, quo ipsum morbus funestus corripuit, in spatioso orphanotropei auditorio ad frequentem cœtum ipsi loco Ven. collegæ nostri, Prof. FRANKII, dicendum esset, & is pro arbitrio suo posset eligere textum ac thema, elegit explicavitque illud de cœlesti & gloriosa Hierosolyma ac aditu ad eam per Christum parato Apoc. XXII, 1. sqq. sibi ipsi suoque funeri hac ratione quasi parentaturus. Immo cum e vestigio piam aliquam & ægrotantem matronam invisisset, interrogatus, unde veniat, respondit, se venire a cœlesti Hierosolyma, addita significatione, se jam de eadem publicum habuisse sermonem. Ad quæ verba cum regessisset illa: ergo mihi dabitur ad eam præire; beatus noster protinus excepit: quidni mihi potius, esse adhuc valenti? Unde facile colligitur, quam præparatus ad cœlestia vir integerrimus, cujus vita tota nihil erat, nisi perpetua ad mortem præparatio, hinc decesserit. Dies vero erat Januarii vigesima quarta, eaque dominica vulgo Septuages, qua post habitam in æde sacra Glauchenfi concionem antemeridianam, & post parænesin in orphanotropeo popularem vespertinam, ipsum ac simul conjugem carissimam, post prævia quædam, at parum curata, indicia corripuit morbus, qui primis diebus adeo levis fuit, ut febris intermitentis tertianæ indolem exhiberet, at mox ita invaluit, ut in progressu vitæ longioris spem, ac tandem ipsam ejus usuram, eriperet, nimirum febris catharralis maligna petechians & cum purpura alba complicata. Omnem quidem in malo hoc levando depellendoque adhibuerunt operam tres medicinæ Doctores & Præfici multo serum medicarum usu experientissimi, & religiosi, CHRISTIANVS SIGISMUNDVS Kidyer, JOANNES Junder & HENRICVS Vedet, quos beatus HERRNSCHMIDIVS habebat pie familiarissimos, & in vicinia sua habitantes; sed sine restituendæ valetudinis effectu, Deo hoc morbo pro vehiculo beatæ transmigrationis utente. Exspiravit itaque vir optimus die hujus mensis quinto circa horam meridianam decimam, annos natus circiter XLVIII. Et hunc ipsum altero statim die tempore matutino, & ætatis suæ anno quadragesimo primo, in transitu ad vitam gloriæ secuta est conjux carissima, SABINA CATHARINA SCHWARTZIA, femina singulare sui sexus ornamentum, suæque familiæ decus tantum, ut de ea vere dici possit Apostolicum illud de ornatu seminarum spirituum essatum 1. Petr. Cap. III. 3. 4. Hanc pro nutu Dei singulari in matrimonium duxerat anno MDCCII. & in suavissimo viginti annorum, & aliquot mensium, conjugio *αολοίξω* piam fidissimamque vitæ sociam est expertus, tandem vero comitem, viduam quidem, ac sine ullo viduitatis sensu, in aditu ad cœlestia e vestigio sequentem nactus, ita ut mors, quæ conjuges disjungit, hos conjunxerit potius in consortio beatorum angelico. Morbi quidem unde oriuntur, supervacanea Christianis est inquisitio: quandoquidem vero missa generali specialis causæ investigatio inconsulta non est, hæc hic est in promptu. Filiosus ante quatuor circiter hebdomadas febris correptus fuerat ardenti: cujus malignitatem cum primum non agnoscerent parentes cum liberis reliquis, nec, ubi erupit, pro tenerimo suo affectu, ut sæpius etiam prudentibus evenire solet, provide satis se gereret erga ægrotantem, reconvallescente filio, malum se in ipsos parentes liberosque (qui tamen, quæ Dei est gratia, & ipsi pristinæ restituuntur valetudini) diffudit, & ita quidem, ut ejus periculum primum non agnosceretur, ingravescens vero in parentibus advocatorum Medicorum opera existeret superius ac validius.

Habemus, *Collegæ omnium ordinum honoratissimi*, nec non *Cives florentissimi*, exempla, quæ denotant nobis dignam mortis, quæ & nobis omnibus imminet, meditationem commendant, medicationem scilicet præcticam, qua peccatis magis magisque inortui Deo vivamus, & hac ratione ad beatam mortem recte præparemur. Et hunc ipsum in finem hæc Dominica invocavit, & quidem ante meridiem post horam IX. in *Templo Scholastico*, post meridiem vero hora II. in æde Glauchenium sacra habebitur concio funebris, laudabili beate defunctorum memoriæ destinata. Ad quam vel utrobique, vel pro commoditate vestra alterutro in loco, cum fructu audiendam frequentius interesse nec grave-
mini, iam publico nomine quam humanissime rogamini, invitamini.

P. P. Halæ Magdeb. Dominica Invocavit a. MDCCXXXIII.



Gb 1633.

4^o


ULB Halle 3
001 611 763



20

n. c.





44.
PIA MEMORIA
BEATISSIME DEFVNCTORVM,

h. e.
VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
ET EXCELLENTISSIMI,

IOAN. DANIELIS
HERRNSCHMIDII,

S. THEOL. DOCTORIS
ET IN HAC FRIDERICIANA PROFESSORIS
ORDINARIJ MERITISSIMI;

NEC NON

CONIVGIS EIVSDEM LECTISSIMÆ,
SABINÆ CATHARINÆ
SCHWARTZIÆ,

MATRONÆ OMNI VIRTVTVM CHRISTIA-
NARVM GENERE FLORENTISSIMÆ,

DIE XIV. FEBR. DOMINICA INVOCAVIT.

ET QUIDEM PARTIM ANTE MERIDIEM

IN TEMPLO SCHOLASTICO POST HORAM IX.

PARTIM POST MERIDIEM

IN ÆDE GLAVCHENSIVM SACRA HORA II.

CONCIONE FVNEBRI RECOLETVR:

AD QUAM SI NON IN VTROQUE,

TAMEN PRO CVIVSVIS COMMODITATE IN ALTERVRO LOCO,
CVM ÆDIFICATIONE AVDIENDAM,

VT EXCELLENTISSIMI ACADEMIÆ
PROCERES AC PROFESSORES,

NEC NON

OMNIVM ORDINVM CIVIS NOBILISSIMI

BENEVOLE CONFLVANT,

IPSOS QVAM HVMANISSIME

ROGAT INVITATQVE

ACADEMIÆ PRORECTOR,

IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS, ICTVS,

SEREN. AC POTENTISS. BORVVS. REGIS CONSILIARIVS INTIMVS,
ET IVRIVM PROFESSOR ORDINARIVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ.

Typis IOANNIS GRVNERI, Academ. Typogr. a. MDCCXXIII.

scribitur, eju
aria, perpeffa
exque per cum
am nationem
ne est infecta,
lunt, populum
m esse, Mosen
asini caput in
t, nisi ut Ju-
mirandum,
crimina, eo.
fè detorsisse.
gr. ex osculo
conventibus

